

**Dissertatio inauguralis medica de haemoptysi ... / publico eruditorum  
examini subjiciet Daniel Fridericus Rodox.**

**Contributors**

Rodox, Daniel Friedrich.  
Ludolf, Hieronymus von, 1708-1764.  
Universität Erfurt.

**Publication/Creation**

Erfordiae : Typis Groschianis, [1727]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cnmmc65p>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

DE

# HÆMOPTYSI,

QVAM

DEO DVCE

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

## DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S.  
BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS  
AD VVERHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOLOG.  
ASSESSORE PRIMARIO, ETC.

AVTORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS  
MEDICÆ

IN ALMA AC PER-ANTIQUA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

## DN. HIERONYMI S<sup>E</sup>UDOLFI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINÆ DOCTORIS,

CONSILIARI ET ARCHIATRI ELECT. MOGVNT. FAC. MED. ET PHILOS. ASSESS.  
ORDIN. N. N. CHTMIÆ ET MATHEM. PROF. PVBL.

PATRONI ATQVE PROMOTORIS SVI COLENDISSLMI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES RITE ET  
LEGITIME ADIPISCENDI

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJCIET

## DANIEL FRIDERICVS RODOX,

Gerbstadio - Mansfeldensis,

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVENTIS.

DIE IV. OCTOBR. ANNI M DCC XXVII.

---

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

*PER - ILLVSTRI*  
*ATQVE*  
*EXCELLENTISSIMO DOMINO,*  
*DOMINO*  
*LVDOVICO OTTONI*  
*DE PLOTHO,*

DYNASTÆ IN PAREY, GERBSTÆDT, REESEN  
ILEBVRG ET GÜTTERN &c.

POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE  
ET ELECTORIS BRANDENBVRG. MINISTRO  
STATVS INTIMO ET DIRECTORI SVPREMI  
APPELLATIONVM JVDICII, NEC NON  
TRIBVNALIS ARAVISIONENSIS,  
BEROLINI

INCREMENTA  
PERPETVÆ FELICITATIS!

PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE,  
DOMINE GRATIOSE.

**I**gnoscē DOMINE GRATIOSE, quod hanc Dissertationem Inauguralem SVMMO NOMINI TVO consecrare minime eru-  
bescam. Adducor ad hanc audaciam duabus potissimum  
rationibus, iisque probe circumspectis atque subductis : Inter  
illas enim virtutes, quibus emines, est admiranda TVA erga litterarum studia excoletes BONITAS & propensio, quæ innume-  
ros fere ad Gratiam TVAM sibi conciliandam jam invitavit.  
TV itaque, rei litterariæ PROMOTOR OPTIME IPSEM ET ansam  
michi dedisti, quare in præsentia ad MUNIFICENTIAM TVAM,  
verbis majorem, configere non erubucrim, & hac occasione  
devotam, piisque mentem meam significando aditum ad tutis-  
simum TVVM PATROCINIVM mihi parare voluerim; Deinde  
movit me Singularis GRATIA TVA, quâ per multos annos Pa-  
trem meum jam ætate ferme confectum dignatus es. Quæ  
cum ita sint, cui potius GRATIOSE DOMINE! quam TIBI Spe-  
cimen meum offerrem? Accipe igitur illud more TVO, serena  
fronte, atque memet TVA gratia favoreque bea. Supremum  
interea Rerum omnium moderatorem, DEVUM TER OPTIMVM  
TERQVE MAXIMVM, supplex oro venerorque; ut TE, GRATIO-  
SE PATRONE, magnum Patriæ Fulcrum, in REGIS & Patriæ  
utilitatem, TVÆQVE Splendidissimæ FAMILIÆ, & meam salu-  
tem, per longam annorum seriem sospitem atque salvum, &  
corporis animique viribus integrum superesse jubeat


TVI

PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI  
NOMINIS

Dabam Erfordiae d. IV. Oct.  
M DCC XXVII.

Cultor debotissimus & servus  
subjectissimus

DANIEL FRIEDRICH RODOX.



## PROÆMIVM.



Anguinem, ut Corpus ejusque partes in debita Vitalitate conserventur, magni ac eximii usus præ cæteris laudabilibus humoribus existere, nemo erit, qui negare audet; Sanguis enim suam originem proxime sumit ex Chylo, è cibis proveniente atque expresso, & quando usque ad Cor, tanquam genuinum Sanguificationis Organon Circulando progreditur, tunc istæ particulæ Chylosæ majori Vitalitatis & Volatilitatis gradu imbuuntur, Sanguini de novo affunduntur, intime commiscentur, Purpureumque atque elegantissimum rubicundum colorem consequuntur, & hoc facto peractoque negotio, quantitatem acquirunt atque constitutionem, Corpori recreando, nutriendoque, oppido utilissimam, maxime necessariam, per quam aptissimam, adeo ut asserere non erubescam, Sanguinis dispendio Corpus invadente, Organa quæcunque ad officium suum subsundum, plane indisposita evadere, & postea omnem penitus vitalitatis flammulam extinctam fuisse, comprobant exempla tum Vulnerum, ad Ventriculos Cordis usque penetrantium, tum Hæmorrhagiarum justo solitoque majorum, quam plurima; In Vulneribus, & quidem Vasa majora affidentibus, qualia nobis sint metuenda Corporis detrimenta cognitus & intellectu minime erit difficile; Si enim consolidatio vulnerum haud fieri potest, tunc humor iste pur-

purpureus confertim atque cum impetu corpore promanat & Vitam insimul Corpori detrahit. Hæmorrhagie, & quidem in majori gradu factæ, quia sanguinis in Corpore defectum efficiunt, defectum quoque vigoris Vitæque ipsius non raro induxerunt, Corpusque admodum languidum morborumque gravissimorum copiae obnoxium reddiderunt, ut cognoscere licet ex Pathologia Medica. Humores autem omnes, licet utilissimi, certis gaudent in corpore nostro, quod inhabitant, habitaculis, locis, Organis, adeoque humores quicunque certis circumscripti sunt limitibus, quos transgredi, absque vel maximo & fonsico P. N. Corporis statu minime possunt, nec debent. Hinc exoriuntur morbi, qui in Pathologia Medica sub Titulo Situs Vitiati & mutati veniunt pertractandi. Hujus rei veritatem paulo fusi & distinctius demonstrandi & comprobandi ergo, adducere non incongruum erit quædam exempla Humorum, qua utilium, qua inutilium, situm, sedemque ordinariam in inordinariam, ipsis non competentem, mutantium, & exinde varios, variae & diversæ indolis, morbos ut plurimum gravissimos producentium; Bilis itaque, licet corpus & cum primis intestina, ob qualitatem, qua gaudet, balsamicam & amaricantem a putredine præservare videatur, si fiat ductus Choledochi ad intestinum duodenum tendentis obstructio, & ex hac ad M. S. bilis regurgitatio atque effusio, maxime noxiorum effectuum in Sanguine causa existit, adeo ut magis putredinem Sanguini adducat, quam præservet: Exinde enim Sauguinis particulae & qualitates laudabiles convertuntur in inutiles, partesque omnes vitiato modo nutriuntur; Color floridus & vividus Corporis in flavum, & successu temporis in nigrum colorem faciei Hippocraticæ simillimum immutatur, uti videmus in Ictero flavo & nigro. Si Bilis effusio evadit ad ventriculum, insequuntur Vomitus biliosi, Febres biliosa, Caususque ipse. Qui morbi adeo non conspiciuntur in extravasatione Seri & Lymphæ, Humorum alias Corpori maxime necessariorum, ut potius variae exinde oriuntur Hydropis species, modo nimirum Universalis, qui totum occupat corpus, modo particularis, qui tantum unam vel plures partes simul, vel cavitatem abdominis, ut in ascite, vel Caput, ut in Hydrocephalo, vel Thoracem, vel uterum afficit, & quoque manus, vel pedes ipsis tali extravasato sero laborare experientia te-

statur; Si flatulenta quedam materia in cavitatem Abdominis intrat, Tympanitis originem acquirit; Excrementa alvina si per canalem suum ordinarium foras egredi nequeunt, sed remcant & aliud sibi vendicant locum, affectum causantur maxime funestum, & ob Symptomata, quibus ut plurimum stipatus est, miserosque ad extremum usque vitæ halitum excruciat, curatu difficillimum, passionem nimirum Iliacam, ab aliis jure dictam miserere mei. Sanguis, quo magis est humor laudabilis, Corporique & partibus ejus præ cæteris necessarius, si per vasas sua debita atque ordinaria circumpellitur, & suum cuique parti debitum nutrimentum, quantitate nec majori, nec minori, quam par est, & debet, sed quantum semper sufficit, offert & affert; Eo majorem econtrario parit noxam iste Humor vitalis, si cancellos suos amittit, & aliam sibi quaerit & invenit sedem in aliis partibus; Hinc istæ partes in eo non sunt, ut ejusmodi extravasatum Sanguinem propellere, & in circulationem redigere valerent, & ni moveantur aquæ, vitium capiunt, stagnant, putrescent, male olent, ita quoque Sanguis deficiente motu circulatorio, Putredini statim & ubique proclivis, in putrefactionem abit, inflammatur, Sangnini reliquo malignitatem conciliat, nutriendi ejus qualitates & particulas destruit, fugat & removet: Sic fieri aliter non potest, quin Febres Hæticæ ex Hepatis Vitio; Phthises ex Ulcere pulmonum, ab extravasatione & Sanguinis in cavitatem Pulmonum ingressione immediate proveniente, oriuntur. Variis interim conatibus non raro sui excretionem promovere intendit talis materia sanguinolenta, partes incongruas obsidens, sed facile in maciem corporis, quia hisce excretionibus inordinariis consuetudo contingit, aliaque varia sotica mala degenerari potest, uti verissimum hujus rei probandæ argumentum nobis sistit iste non exigui momenti, & non infrequentioris observationis affectus, Hæmoptysis nimirum, qui affectus, licet in initio ægri nil fere damni & positivi nocimenti, si Tussim exceperis, exinx sentiant, tamen temporis tractu, & vel levissimo circa praecordia, vel circa diætam, in cibo potuque sumendo, vel aliis rebus N. N., vitio seu errore patrato, alias status graviores, studium & directionem Medici fere omnem aspernentes, efficere plus simplici vice observatus est. Hanc proinde Hæmoptysin rite tra-

stan-

stanti dirigendive methodus, ut cuilibet quam evidentissime apparet, Et ut media ad manus suppeditem, quibus initis statim obstatre, quibus metum futurorum graviorum affectuum plane abjicere queamus, hanc in praesentiarum tractationem de Hæmoptysi, Dissertationis Inauguralis loco, in me suscipere non abs re foret. Ad propositum autem negotium bene inchoandum, optime tractandum, feliciterque absolvendum, opus omnino habeo gratia Divina atque benedictione, quam ut Summus rerum Arbitr̄ mihi clementissime concedat, devotissime precor.

## §. I.

**U**T intelligatur, quid sit id, de quo disputatur, cum primis Nominis Anatomen superaddendam esse arbitror, ut exinde eo melius patefiat, quale sit id, de quo mihi est sermo, consilium præcipue hac in re imitaturus Ciceronis, ita L.I. de Offic. C. 1. p. m. 7. inquietis: *Omnem a ratione aliqua de re suscipiendam institutionem debere a definitio- ne proficiisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.* Componitur itaque Hæmoptysis ex *αἷμα*, *Sanguis*, & *πνεύμα*, *sputo*, denotatque quamvis Sanguinis excretionem ex variis licet locis promanantem, per os institutam, hac tamen cum cautela, quod semper Sanguinis istius eliminatio, *Sputo*, *sputen*, seu secundum nonnullos autores, *αἷμον τύειν* adornetur. Germanico idiomate redditur: **Das Bluth auswerffen/ Blut speyen**; Et haec denominations valent, quando haecce Sanguinis excretio vel sola simplici expunctione: **durch spitzen/ oder spucken**. vel screatione sive Exscreatione, si- ve Scream majori vel minori: **Mit Reuspern/ vel tussi**, & quidem minori vel fortiori, ferina & profundiori: **mit schweren Husten**; vel regurgitatione: **Durch Gurgeln/ fieri observatur**. Improarie & magis late vocatur quoque **Ein Bluth-Sturz/ quando nimiri, vomitibus pluri- bus vicibus repetitis, ex qualicunque Hyperemefi, vel Violento modo, Contusione Præcordiorum, lapsu ab alto perpresso graviori productis, talis Hæmorrhagia per Os**

con-

contingit, interdum tanta ratione quantitatis, ut reliquas omnes Sanguinis per Os excretiones longe superet.

### §. II.

Alii alia opinione edociti Autores Medici discrepare sputum *Cruentum* & *Hæmoptysin* inter se malunt, aut umates, quamvis *Hæmoptysis* secundum derivationem denotet Sanguinis excretionem omnem per sputum factam, tamen magis significari debere ejusmodi sputum, quod ex *Parenchymate Pulmonum*, ejusque partibus, nimirum vel *Larynge*, vel *Trunco* sive *Fistula*, vel *Ramis* sive *Bronchiis*, proxime egreditur, ut plurimum cum *Tussi* majori vel minori conjunctum; Sicque ejusmodi *Hæmoptysin* esse statuunt maxime gravem, periculosiorisque ominis praeceteris *Hæmorrhagiis* in corpore humano evenire solitis, *Hæmorrhagiam*, quia nimirum visitur, e loco tam nobili, e parte tam tenera, tam sensibili, tam necessarium, tamque utile Corpori nostro munus subeunte, excretum istum Sanguinem provenire, atque insimul ista vascula majora vel minora, ex quibus promanat iste Purpureus liquor, ob continuum, quem exercent motum, Pulmones, in inspiratione & exspiratione, dilatione & contractione constantem, haud posse consolidari, adeoque funestum adversumque illum Phthiseos affectum, quem omnes omnino homines jure merito abhorrent, pedissequum habere certissimum.

### §. III.

Mitioris autem Profapiæ atque indolis existere speciali nomine ita dictum *Sputum Cruentum*, affirmatur: Nimirum illum non periculi tantum Corpori nostro interre, quantum *Hæmoptysis* affolet; Illum non ex Pulmonibus egredi, sicuti hæc; In illo sanguinis parum excerni, in hac multum; Illum ut plurimum Sanguinem grumosum, non raro cum muco, qui unâ excreatur, commixtum ostendere; Hanc, sincerum, limpidum, floridum atque communiter spumosum & in majori gradu *Hæmoptyseos* Phthi-

Phthiseos nimirum ubi imminet præsentia, cum pure maritatum graveolenti, fœtido, maligno; Quam speciem non inconcinne *Venerandus noster Hippocrates* pro mala reputavit *Aphor. 15. S. VII- seqq.* Verbis: *Sanguinis sputo si super-venerit puris exputio, malum.* Illum denique post unam alteramve levem utcunque exscreationem cessare; Hanc multam gravemque tuſſim comitem habere, non minus quam per multum temporis spatium, pro Ruptione vasorum varia, continuare. Et multæ sunt & prostant aliae, quæ allegantur in Pathologiis quibusdam, horum binorum affectuum inter se invicem differentiæ, quæ tamen si sub incude judicii revocantur, haud essentiales, sed graduales illas esse quilibet videbit; Majus & minus non variat & mutat Essentiam rei; sic licet dentur mitiores sputi Cruenti species, provenientes v. gr. vel ex palato, faucibus, vel ex infundibulo narium, gingivis, Capite asperæ arteriæ, Larynge nimirum; quasvis tamen, quia Sanguis per sputationem ejicitur, ad Hæmoptysin referri debere & ratio & aliorum multorum Celeberr. Medicorum sententia suadere videntur; Sequor ergo hac in re rite trutinanda alios & quidem plurimos non infimæ sane famæ, non mediocris judicii Medicos, Sputum Cruentum pro Hæmoptysi, & vice versa, ponentes; Audiamus modo *Celeb. Ettmüllerum* æque atque *Wedelium*, quippe genuinos atque veros Medicinæ Coryphaeos, priorem ita dicentem in Operib. Pract. de Sputo Sanguinis: Non raro per Os Sanguis ejicitur in affectu, qui vocatur Sputum Sanguinis, seu Hæmoptysis appellatur; & statim in sequentibus pagellis hancce suam sententiam ulterius demonstrandam atque comprobandam curavit, varie nimirum & ex variis locis & partibus Sanguinem istum, per os rejciendum, promanare posse, nunc gingivis, nunc fau- cibus, nunc Oesophago, nunc ex Larynge nunc ex pectori, nunc ex pulmone, omnibus aliis multifariis viciniis locis. Posteriorem, Wedelium scilicet, eum in modum hac de re inveni scribentem: *Hic vero § de Hæmoptysi*

seu Sputo Cruento dicendum venit ; Ulterius : Sputum cruentum vel simplici exspuitione, vel exscreatione, vel Vomitu, vel Tussi, vel regurgitatione sola ejicitur. Conferatur ejusd. Pathol. Med. Dogm. de Sympt. Excret. & Retent. p. m. 675.

## §. IV.

Eam Sanguinis per os Vomitu factam excretionem Hæmoptyseos nomine vocandam esse, minime statuo, cum inter hæcce Symptomata , Sputum nimirum inter & Vomitum magnam intercedere, multique usus discrepantiam, in aprico constitutum esse existimo ; Differre, uti ex Pathologia non ignotum erit, credo hac ratione, ut Sputum Cruentum ex Pulmonibus vel aliis partibus paulo ante memoratis producatur ; Vomitus vero cruentus minime ex his , optime tamen & immediate e Ventriculi Cavitate succedat ; Quicquid ergo Sanguinis Vomendo succedit , ex Ventriculo oritur, Vomitusque Cruentus in Schola Medica appellatur, quicquid autem tussiendo diu multumque, fortiterque exscreando , ex cavitate Pulmonum , id Hæmoptyseos merito insignitur nomine.

## §. V.

Ne latius, quam par est, in varias Sputi Cruenti species , & quidem Spurias , non è pulmonibus erumpentes in hac mea tractione excurrat, speciale illam Hæmoptyseos acceptancem , quam alii adstruunt, Sanguinis nimirum e Pulmonibus excretionem significantem, lequi par est, & in specie istud Sanguinis Sputum hacce consideratione dignum judicavi, quod cum Tussi vel Secreatu majori ex Respirationis Organis, speciatim & ut plurimum ex Pulmonibus per os ejicitur. Quapropter proximum nunc esse sentio negotium, ut definitionem illius Realem, ex hac Causas, Diagnosin atque Prognosin, & ex hisce, Therapiam atque Curam , quanta possim perspicuitate, hisce pagellis insinuem.

## §. VI.

Hæmoptysis itaque speciali acceptance ita sumta , est Copia Sanguinis spumescens , recentis , floridi , tenuis , atque Coc-

Coccinei, interdum quoque nonnihil nigricantis, crassi, grumo-  
si plus minus, per Os ex Pulmonibus excretio, modo cum mo-  
do sine spuris expuitione, tussique ferina, fortique screatu-  
oriens, a Vasorum Arteriosorum vel Venosorum vel Ruptione  
vel Erosione immediate proveniens, variaque in gravissima, Cor-  
porique interitum sensim inferentia mala degenerans.

## §. VII.

Subjectum hujus affectus & partem patientem sive  
affectam esse Parenchyma Pulmonum ex hacce definitio-  
ne patet quam clarissime ; Si enim Sanguis exstillat ex su-  
is vasis, intratque in cavitatem pulmonum, ob munus,  
quo fungendum est in illa parte, In- & Exspiratorium, fieri  
minime potest, ut talis materia hocce munus impediens,  
diu inhærere, perferrique queat, adeoque maximis cum  
conatibus, maxima cum tussi, quam materia irritando &  
arrodendo Tunicam membranoso-Nervosam tam Pulmo-  
nis ipsius, quam Asperæ cumprimis arteriæ producit, ejus-  
modi extravasatæ Sanguinæ portiones ejiciuntur. Ast  
enim vero Successus haud ubique respondet intentioni  
Naturæ alias salutari, adeo ut ejusmodi Sanguinem  
sufficienter ejiciendi vires non raro deficiant, sic non pos-  
sunt non ex Sanguine isthuc stagnante, subsidente, putre-  
scente, oriri ulcera Pulmonum, quæ non raro inflamma-  
tionis gravissimas species, Peripneumonia nimirum, præce-  
dit, Empyemata, Vomicæ, sicque Sanguini communi-  
catur circulando ista ulcerosa materia peccans morbifica,  
Phthisis, Marasmus, Tabes totius Corporis. Ejus-  
modi, inquam, in modum afficiuntur Pulmones; Interea  
haud negandum puto, varias alias partes, partim ob con-  
fusum, partim ob Vicinitatem, partim ob variorum  
Symptomatum concursum secundario affici posse, puto  
Caput, Fauces, Præcordia, Ventriculum, Diaphrag-  
ma, quæ omnes partes, ob gravissimam illam, quæ  
Tussiendo Screandoque fit, Præcordiorum concussionem  
atque commotionem, Tono suo & robore destituuntur,

ut deinde officiorum suorum rationem rite habere nequeant.

### §. IIX.

Causam efficientem seu immediatam hæc, puto, definitionis meæ verba continere : *A vasorum arteriosorum vel Venosorum Ruptione vel Erosione immediate proveniens.* Anastomosi, Diæresi & Diapedesi tanquam generali omnium Hæmorrhagiarum Triade, Vasa aperiuntur, ut Sanguis Pulmones ingredi possit, Sputumque Cruentum fieri arbitror, reseratis vasis vel minoribus, in Diapedesi, vel majoribus, ut in Anastomosi & Diæresi. Ab externis modo causis, atque modo internis procreari potest talis ruptio & Erosio, Vasorum talis Anastomosis & Diæresis, triplicique modo id fieri sentit Celeb. D. Wedelius I.) Per Oppressionem, in hac apertioñis specie sola sanguinis quantitas, qualitate cæteroquin bene sese habente, causam apertioñis esse visa est ; Solum Orgasmum & Sanguinis commotionem ad Præcordia, Pulmones specialiter factam atque institutam, sanguinis quandam copiam immuendi, vel in vasis minoribus, capillaribus ab aliis dictis, stagnantem atque obsidentem, resolvendi atque propellendi fine, sufficere posse reor ad ejusmodi Anastomosin atque Vasorum ruptionem facilitandam ac producendam, in hac ergo Cruenti sputi specie, quæ nimirum Oppressione efficitur, Sanguis actuali & impetuoso modo sese habet, & tamdiu unda ad undam pellitur, usque dum invenit, quod quæsivit, sui nempe excretionem atque imminutionem.

### §. IX.

II.) Per Excretionem; quando Natura per Pulmones sanguinem vult eductum, in qualitate maximum partem peccantem. Sic deprehenditur Hæmoptysis interdum in febris malignis, acutis, in Pleuritide, Peripnevmonia, quod ut plurimum bonum esse, Crisine morbi, licet non perfectam, fieri deprehendimus.

### §. X.

## §. X.

Denique tertio additur species Sputi Cruenti, quæ Resolutione Vasorum, secundum alias Exesione, divisione & Erosione illorum h. e. Diæresi & Diaphroosi absolvitur; ubi nimirum secundum *Sennertum*, a Causa incidente, erodente, vel rumpente, solutio continui vel unitatis evadit, vel via aliqua & meatus, qui adesse non debebat, appetitur, vel qui adest, dilatatur, ut humores, qui in vasis contineri debebant, effluant, adeoque in his Casibus excernuntur, quod retineri debebat, & non sine ratione vocant illi Hæmoptysin, Symptoma retinendi Excreti. Hinc certum Experientiaque comprobatum est, omnes particulas acres, stimulantes, corrosivas, malignas, pestilentiales, sive ab externis, sive internis Causis Cavitati Pulmonum communicatas, ejusmodi de se edere posse effectum, Erosionem nimirum atque Resolutionem Vasorum majorum vel minorum. Externis causis fit hoc, Aere inspirato Pestilentiali, hinc non mirum, quod talis Hæmoptysis interdum sit Symptoma Pestis aereæ, quod *Paracelsus Tract. 2. de Pestil. c. 1. de Curat.* observatum nobis reliquit, hinc non mirum, quod fumo Sulphuris incensi, halituque Aquæ fortis sub laboribus Chimicis inspirato, vel aliis particulis peregrinis, pulmonibus pectorive valde inimicis, pulmones ingressis & sapientis repetitis, talia Hæmoptica molimina afficeret homines soleant. Quapropter Pectori, credo, valde obest fumus oleorum vel sevi, erosionemque Vasorum inducendi satis habet virium, cum primis in literatis, vita sedentaria, studendiisque libidine assuetis, eo frequenter ejusmodi Hæmoptysis existit, quando nimirum per noctem candelæ loco sevosa sibi sumunt instrumentum & vas quoddam oleo quodam expresso imbutum: Eine Del-Lampe, cuius usu non solum varia pectoris incommoda, sed & Cephalalgiæ, memoriae imbecillitates, auditus, visusque vitia, comites & effectus esse solent: Ab internis, iisque omnino frequentissimis, causis & vitiis sanguinis & sieri, in qualitate atque Crasi peccantium, Erosio

sio vasorum quoque conciliatur, e.g. in variolis atque morbillis, lympha in specie nimis acri, & acido-salsa, scorbutica, aliave simili labe inquinata; Hinc Phthisicos desperatos, nudatis plane, resolutis, & apertis Vasis, mortuos esse sputo Cruento, quin imo Febris malignis, ipsisque Pestilentialibus correptos purpuream evomuisse atque exspuisse Animam, haud simplici vice Autores observarunt; Hinc rationem suppeditare valeo istius observationis, quam *Rhodius reliquit Cent. 2. observ. 35.* quare nimirum post sanguinatum ulcus pedum sanguinis supervenerit exspuitio, procul dubio hanc ex retrogresso fermento ulceris acri atque corrosivo, mediante M. S. ejusque motu Circulatorio, ad Pulmones delato, & Humorem vitalem isthuc contentum inquinante, vasaque pulmonalia erodente, originem sumisse reor.

## §. XI.

Ex Antecedentibus itaque evidentissime patent Causæ, quibus talis Ruptio & Erosio, Anastomosis & Diæresis vasorum caulari assolent; Qualitas scilicet æque ac Quantitas sanguinis ipsius, vitio laborans; Quæ adeoque bina Sanguinis vitiata constitutio, mihi causam antecedentem Mediatamque præbet. Hinc ii status P. N. & ea subiecta, quæ ad qualitatem sanguinis, vel quantitatem, vel stagnationem ejusdem præ aliis prona existunt, ipsisque istis vitiis laborare videntur, præ aliis quoque causam constituunt occasionalem atque remotam. Solennis cum primis alicujus sanguinis evacuationis suppressio, vel neglectio frequentissime præcedit Hæmoptysin, sanguinemque in Crasi & quantitate & motu impedit. Nihil sane frequentius in Praxi est, quam quod suppressionem Mensium & Hæmorrhoidum subsequatur sanguinis sputum, ex sanguine nimirum ad Præcordia recedente, circa Præcordia plus minus coacervato, in Præcordiis stagnante, anastomosinque, quando eruptio fit, & Diæresin, si successive & minori dosi, inferente, qualis Hæmoptysis, & quidem periodica ex menstrui fluxus imminutione annontatur

tatur in M. A. N. C. Ann. 9. & 10. obs. 27. Hæmoptysin insignem cum Pleuritide suppurata, ex nimis cita Mensium emansione ortam, observavit Deodatus in Valetud. pag. 219. alia quoque Exempla invenienda sunt in Schenckio observ. lib. 2. & Borello Cent. I. obs. 24.

## §. XII.

Hujus affectus Diagnosin formare generalem, nulla cum difficultate conjunctum negotium esse mihi persuadeo, cum id ipsum per se patet, quando nimirum quis tussiendo, vel screando, vel simpliciter expuendo, vel per aliud excernendi modum, uti in §. I. declaravi, sanguinem per os ejicitur, tunc statim Hæmoptyseos nomine venit; Cum autem ex tot tamque variis istum sanguinem provenire posse locis partibusque affectis, itidem in præcedentibus, præcipue ex §. III. & VI. à me declaratum sit, necesse erit quam maxime, ut specialia signa ex mea definitione erui curem, quibus præsentia Hæmoptyseos & quidem e Pulmonibus evenientis evidentior evadat.

## §. XIII.

Hæc definitionis meæ verba: est sanguinis spumescens excretio cum tussi ferina & forti screatu conjuncta, oboriens, quemlibet certiorem faciunt, ut credat, sanguinem e pulmonibus rejici, cui quoque asserto assensum præbere videtur Hippocrates in Sect. V. Aph. 13. *Qui spumantem sanguinem extussiunt, inquiens, iis ex Pulmone educitur.* Sanguis qui tussi præcedente & continuante per os excernitur e Pulmonibus, ut plurimum existit meracus, floridus atque tenuis, & tunc manare istum ex arteriis & venis vel Pulmonalibus majoribus vel minoribus, vel ex arteriis Trachealibus, ex arteria nempe Aorta oriundis, probabile videtur, uti & accurate distinxit Willius in Pharm. Rat. p. 2. pag. 151. Interdum autem quod sanguis nigricantem præ se ferat & obscurum colorem, grumosanque habeat consistentiam, tunc alii, sanguinem venosum impuriorem, obscuriorisque coloris esse statuentes, e Venis Pneumonicis aper-

apertis ruptisque istum per os excretum sanguinem productum fuisse affirmant. Si meum in hacce re dijudicanda desideretur judicium, id erit, non quidem præcise sanguinem nigrantem & obscurum e Venis Pulmonalibus provenire debere, sed etiam ex Arteriis, & quo diutius sanguinis aliqua portio in aliqua parte sine motu suo Circulatorio inhæret, eo majorem nigrescentem colorem, eo obscuriorem & eo putredini atque foetori proximiorem acquirit consistentiam, quod quoque in nostro hoc casu evenire certo confido; Certissimum quidem est, sanguinem, simulac ingreditur e vasis suis pulmones, afficere eos, tussimque, ad illud nocivi expellendum, creare, sed non nunquam laudandam saltim esse voluntatem, si vires sufficietes defint, explanavi in §. VI. Sic quam frequentissime evenire solet, ut ejusmodi sanguis extravasatus, tussi non sufficienter factâ, per aliquod tempus in pulmonibus remaneat, putrefact, nigrefact, alioque tempore, hac acquisita mutatione, excernatur atque ejiciatur,

## §. XIV.

Accedunt in hoc affectu varii alii affectus, ut sunt anxietates præcordiorum, & difficiles, Asthamati similes, respirationes, cum majori, vel minori virium absumtione conjunctæ. Cum primis Vires ægrotantis fatiscant, si Hæmoptyseos in Phthisin degeneratio atque immutatio proxime instat. Hinc adeo imbecilles visuntur ejusmodi, ut scalas ascendere, & per loca acclivia meare, vel plane non, vel non sine maximis incommoditatibus, metuque suffocationis, valeant.

## §. XV.

Cum adhuc aliis consideratu non indignis symptomatis præsentem affectum ægros afficere, verba definitionis ostendunt, nimirum modo cum, modo sine puris expunctione ista Hæmoptysis cernitur. Hæc verba divisionem ad manus suppeditant, quod alia Hæmoptysis sit simplex, alia complicata; Alia Recens, alia inveterata; Alia acquisita, alia hereditaria. Quando igitur Hæmoptysis instituitur,

instituitur Sanguine sincero, spumescente, sine pure, magis istam Simplicem, Recentem atque utplurimum acquifitam, si autem Sanguine nigricante, putrefacente, pure que ipfo, magis complicatam, inveteratam, atque utplurimum hæreditariam esse reor, ſpe fretus fore ut prior gradus Hæmoptyſeos curatu facilis, posterior, difficultis, quin imo non raro impoffibilis, videatur. Interdum autem, in iſtis præcipue ſubjectis, qui quantitate Sanguinis, & ex hâc producta Hæmoptysi laborant, Hæmoptysin ſimplicem, Sanguinem ſincerum, non cum pure coniunctum ejicientem, tameu inveteratam & hæreditariam quandoque eſſe non nego.

### §. XVI.

Prognosis, quæ mihi, ordinis ratione ita jubente, jam venit instituenda, ſequentibus innitetur fundamen- tis, ut conſideretur vitium Sanguinis, quo mediante Ruptio Vasorum Pneumonicorum eſt facta, an quantitate, an qualitate potius Sanguinis? Locus, ubi vas iſtud ſit ruptum, an in Bronchiis? an in Fundo Pulmonum ipſo? quæ tamen posterior Circumſtantia non niſi post mortem, aperto Cadavere declaratur, interim tamen ex Tufſi ma- jori vel minori, profundiori & vehementiori aliqua conje- cture, in quonam loco apertio Vasorum ſit, fieri potest; Sanguis enim, qui Fundum obſidet, majorem ſemper Tuſſim, qui autem ex Bronchiis provenit, quia statim Asperam Arteriam ingreditur & ad ejiciendum excitat, leviorem quandam, & Screationi proximam producere obſervatur. Non omnem Hæmoptysin abſolute Phthisin, ut vulgo putatur, cauſari ſequitur exinde: eam puto, quæ ex Plethora, abundante Sanguine, & hunc imminuendi gratia a Natura instituitur, & tanquam alia Hæmorrhagia in Corporis levamen tendens, protrahitur. Id tamen haud negandum erit, perire tales agrotantes suffocatione, & inhibita in-& respiratione quaſi jugulantur. Si autem Cache- etici & Scorbutici hoc malo corripiuntur, utplurimum in

C

Phthi-

Phthisis, vomicam, aliaque gravissima mala incidunt, vere incurabilia, si quidem puris expulsio superaccedit, omnino utpote malum cum Hippocrate Aph. 15. Sect. VII. uti in §. III. meæ Dissertat. mentio est facta, erit reputandum, & si puris expulsio subsistat, mortem in propinquuo esse judicandum, suadente pariter nostro Sene Aphorismo 16. Sect. VII. *A puris sputo, tabes & fluxus: quum vero sputum retentum fuerit, moriuntur.*

### §. XVII.

Hæmoptysis denique, quæ primaria seu Primariis morbus audit, periculosior existit, quam si secundaria, vel morbus secundarius; prior peculiare vitium pulmonum & primarium involvit, variaque gravissima mala successu temporis, maloque altas agentiæ radices producenda promittit; Posterior Symptomatis & Criseos adinstar provenit, & mala quidem antecedentia, non ultro continuantia significat, quando v. gr. ex Pleuritide, Peripneumonia, aliisque febribus acutis & malignis Hæmoptysis oriri visa est. Periodictum si sit ejusmodi sputum, ut nimirum una vel altera vice contingat in anno, minus periculosi, quia non singularem noxiam, non totalem Atoniam Pulmonum, non plenariam Humorum, Sanguinisque Dyscrasiam infert & sequitur; Si sit continuans cum maxima Tussi & virium absumtione purisque præsentia, maxime periculosum; Specialem Prognosin hujus affectus desumere & invenire, quivis potest in Bartholini *Aet. Med. Haffn. Volum. 2. p. 10.*

### §. XIX.

Causarum Occasionalium sive Procatarecticarum quo major vis in producendis malis deprehenditur, eo curatior, eo attenuatior quoque opera danda est, ut, quibus modis, quave diversitate & varietate corpus concursu suo afficiunt & alterant, quid admittendum, quid avertendum, rite rimetur. Inter illas autem principaliorem mihi videtur tractationem mereri Res N.N. quo uti omnes morbos, ita & præsentem, Hæmoptysis

moptysin nimirum, licet jamdum absentem, causare, producere, causatam, productam in pejus detrudere atque diutius protrahere observantur. Aer in Hæmoptysin causanda, nocivam suam qualitatem exserit vel sanguinis Circulum adaugendo, & Congestiones ad Præcordia promovendo, vel Dyscrasiam Humorum & Sanguinis producendo, & id magis interne; Externe autem nocet, si particulis venenosis, Feis, acribus, corrosivis atque pestilentialibus inquinatus, per asperam Arteriam inspiratione & Expiratione Pulmones intrat, atque vasa minora corrodit, arrodit, disrumpit, & Sanguinem extravasare facit. Sanguinis Circulatio magis citatior redditur, si multum utimur Aere calido, rarefacto atque attenuato, hinc cum vi propellitur Sanguis per Vasa sua, debilia rumpit, rupta perineat, ruptisque, quia consolidatio, ob continuum Pulmonum, Sanguinisque motum fieri haud potest, maiorem conciliat Anastomosin; Dyscrasiam humorum & Sanguinis ad Hæmoptysin producendam, producendæ favet Aer nimis frigidus atque humidus, obstruendo Poros, impediendo insensibilem transpirationem, augendo impuritates in Pectore atque Vasis pulmonalibus.

## §. XIX.

*Cibi & Potus*, triplici modo vitiati, quantitate, qualitate & assumendi modo, ad abundantiam Sanguinis vel ejus Dyscrasiam sive qualitatem vitiatam, & ex hisce ad Hæmoptysin concurrere mihi videntur. Si nimirum Cibi & potus in majori, quam assuetum & perferre Natura potest, quantitate sumuntur, tunc propullulant cruditates in Ventriculo atque intestinis acidæ, viscidæ, biliosæ, varioque alio modo Sigillatae, quaenam dein, communicatae M. S. Erosionem Vasorum efficere & ulterius ejusmodi Erosionis sustentandæ autores existere possunt; Lauta de cætero Diæta, cibique Copiosi, copiosum reddunt eduntque Chylum, ac copiosum, quin imo abundantem, imo in variis visceribus stagnantem, imo vario modo ratione qualitatis depravatum Sanguinem. Nocet cibos potusve modus

assumendi quam citissimus, sicut Germanice dicitur : Wenn man ißet, als wenn man gejaget wäre: Wenn man einen jählingen oder hizigen Drunck thut; Nocet Pectori, si inter loquendum, ridendumque cibi nonnihil vel potus assumitur, asperamque intrat arteriam, & vice versa, si inter potandum & edendum risus moveantur, vulgi dicunt : Es kommt in die unrechte Kähle. Tunc excitantur Tusses vehementissimæ, adeo ut Vasa quædam rupta ex eo cernantur, Hæmoptysisque ipsa præsens, hisce oborientibus tussibus gravior evadat. Subjectis plethoricis, & in quibus Hæmoptysis evenit ab abundantia Sanguinis, potulenta Ωosa, V. generos. imprimis Vi largior usus canæ pejus & angue est fugiendus, quia calidum additum & coaugmentatum Calido, magis redditur tale, orgasticaque atque oppletoria sanguinis ad pectus commotio magis & magis intenditur atque conservatur; Frigida potio post sudorem vel labores ingurgitata qualia inducat Corporis detrimenta jamdudum Sennertus demonstravit in institut. suis Medic. majoribus p. 888. qui ex Cels. lib. I. Cap. 3. & ex Dioscor. lib. VI. Cap. 33. sequentia refert: A labore sudanti adversissima frigida potio. Porro ∇ frigida abunde pota, aut meracum Vinum liberalius epotum, præsertim a balneo, aut cursu, aut vehementi Exercitatione strangulatus & dolores infert; Phthisin exinde, Hydropem, obstructiones varias, variosque alios morbos sequutos esse testatur Cel. D. Wedelius in Pathol. Med. Dogm. hisce verbis: *Quando Corpore vel Animo, ab ira v. g. vehementius moto, frigidus ingurgitatur quasi ad levandum aestum potus, vinum, Cerevisia, vel aqua ipsa, teste Experientia crebriori ac tristi, inde præp�mis Phthisin, obstructiones & dolores Hepatis, Hydropem & icterum & Febres oriri &c.* Ergo bibendum & edendum modice & medice.

## §. XX.

Somnus & Vigilia, Motus & Quies conducunt ad abundantiam & depravatam sanguinis qualitatem, & in genere ad Hæmoptysin vel generaliter vel quoque specialiter.

Ge-

Generaliter Impuritates in primis viis æque ac vasis sanguineis ipsis generantur in magna copia, ambulando & laborando leviter & quiescendo fortiter, hisce variæ Cachexiæ species nascuntur, quibus deinde non solum ad Hæmoptysin, ruptionem nimirum vasorum, sed & varia ulceræ, tam in pulmonibus, quam in aliis visceribus producenda ansa datur. Econtra si labor sit major, & quies levis & brevis, Pulmones quoque in officio suo labascunt, & variis impuritatibus ulcerosis & malignis conspurcantur. Specialiter autem pulmones affici posse credo Motibus corporis vehementioribus & intempestivis, Venationibus, Clamoribus, casu ab alto facto, saltu nimio, excedentia nimia, Contusionibus Præcordiorum prægravibus; Sic ex copioso effusioreque risu Hæmoptysin lethalem observavit *Zacutus Lusitanus* in lib. 2. *Prax. Hist. Cap. 6.* item ex saltatione nimia *Rolfinc. Meth. Comm. lib. 2. Sect. 3. Cap. 53.*

### §. XXI.

Animi Pathematibus, cumprimis Ira & Terrore, Hæmoptysis producitur, & jam præsens valdopere exacerbatur, quia partim Humores in maximum Orgasnum & motum nocivum, adeo ut Vasa disrumpat, redigantur, partim quoque eorum motus plus justo opprimitur, ut hinc stagnationes, inflammations atque exulcerationes, necessario oriri debeant, quibus binis animi Pathematibus, si vociferatio fortior accedat, eo certiora atque periculosiora pulmones afficiunt nocumenta; Hinc adolescentibus Hæmoptysis solennis est, quia animi non solum Pathematibus commovendis, sed & aliis Diætæ erroribus committendis præ aliis procliviores existunt, quod testatur Hippocrates Sect. 3. Aph. 29. *Ætas Juvenilis*, inquiens, *ad expectorata sanguinea*, proclivis est.

### §. XXII.

Nunc in causis adducendis N. N. restare puto Excreta & Retenta, quæ si non genuino tempore & ordine procedunt, Hæmoptysin & ejus durationem causare queunt.

& id s<sup>er</sup>pius contingere solet in assuetis Hæmorrhagiis Narium, fluxu Hæmorrhoidalii, Mensium, aliisque, impedita in sensibili transpiratione, neglecta assueta Diaphoresi, assueta purgatione, assuetaque Venæsectione, aliisque neglectis Curis præservatoriis, quibus omnino humores & ipsum sanguinem modo quantitatis, modo qualitatis vitium suscepisse, Experientia commonistratur, qualia quoque Exempla, imprimis Hæmoptyseos ex fluxus mensium immunitio atque plenaria suppressione a me jam allata prostant in §. XI.

## §. XXIII.

Hæmoptysin, si, ut ego feci, intelligatur ea, quæ ex vitio pulmonum, vel ruptione Vasorum quorundam in Pulmonibus, originem trahit, haud omni omnino periculo carere, sed maximo cum periculo conjunctam, adeoque maximam circumspectionem necesse habere, hac huc usque pertractata materia luculentissime declaratum est; Cura itaque erit instituenda, non quidem semper omnibus numeris perfecta atque absoluta, sed haud raro præservatoria tantum atque privativa, ne nimirum Hæmoptyseos leviori in conditione ac indole constitutæ, in inveteratam atque difficilem; difficilis plane in Phthisin atque Contabescentiam totius corporis fiat immutatio; Palliativam autem Curam, eam nimirum, quæ efficit, ut in desperato atque omni salutis spe destituto casu, constitutis, v. gr. in Phthisi, per aliqua temporis intervalla adhuc in vivis superesse concedatur, minime tanti facio, quæ a me hisce pagellis tradatur.

## §. XXIV.

*Medelam* itaque Hæmoptyseos nunc aggressurus, me non vulgari illa methodo, quando per adstringentia, styptica, Anodyna fortiora, fluxus ille supprimitur, sed meliori quadam, eaque rationabiliori, & ea tutiori processurum, profiteor. Tantum enim abest, ut aliquod levamen, ut aliqua corpori salus, hisce adstringentibus, motumque sanguinis supprimentibus utendo sit expectanda, ut potius vel

ma-

maxime metuendum, ne varia sanguis ac periculosisima  
consectaria exinde sequantur. Ad duo autem praecate-  
ris fundamenta atque circumstantias attendendum est, ni-  
mirum ad quantitatem, & qualitatem sanguinis, quae, si a  
statu Naturali recedunt & Hæmoptysin causant, opera ad-  
hibenda, ut constitutionis sua legitimæ compotes evadant;  
Hisce ergo indicationibus mihi erit progrediendum: I.)  
*Sanguinis quantitas est imminuenda, atque ejus circulus æqualiter  
est distribuendus.* II.) *Sanguinis varia miasmata maligna, corroden-  
tia, erosionem atque stagnationem in Vasis Pulmonum facientia, sunt  
resolvenda, e M. S. eliminanda.* III.) *Præcordiorum & quantum  
fieri potest, Pulmonum ratio est habenda, ut Tonu suo, durante Ha-  
moptysi, amissio restituantur.*

## §. XXV.

Ubi sanguinem imminuendi gratia fieri hanc Hæmo-  
ptysin deprehenditur, majori in primis atque ex optatori  
usu sese commendabit *Venæsecțio*, quam suadet prima a me  
data indicatio, atque, ut Circulus sanguinis æqualiter eva-  
dat, & quod palmarium, Orgastica ad pectus sanguinis  
commotio, humorumque congestio quasi revocetur & le-  
niatur, *in pede instituenda*, & nunquam non eo erit prospiciendum, ut omnes evacuationes solennes, ægrisque istis  
assuetæ optime procedant. In genuinis autem Plethora-  
cis haud sufficere credo, una vel altera vice in anno venæ-  
sectionem adornasse, sed pro constitutione subjecti ter vel  
quater interdum est instituenda. *Cucurbitularum impositio-  
nes atque scarificationes* non minimum levaminis in Hæmo-  
ptysi afferre quandoque visæ sunt, cum nimirum Plethora  
magis ad habitum, quam ad Vasā in causa existit. *Pediliu-  
via tam simplicia, i. e. ex pura fontana calida constantia, quam  
composita, ex Herbis discutientibus, Resolventibus atque Nervinis,*  
ad sanguinis circulum meliorandum multum conferunt.

## §. XXVI.

Si corpus cernitur, quod Hæmoptysi laborat, Cache-  
ticum, Scorbaticum, varioque alio modo impurum, & in  
sanguinis qualitate magis peccans, illa locum habet indi-  
catio-

catio. Ut autem Fons & origo malorum tollatur , in hacce indicatione rite expediunda præstat quam maxime priunas vias habere puras atque conservare , cui satisfaciunt scopo moderatæ laxationes, Pilulae ex Panchym. Croll. de Succin. Crat. Extract. Fum. C. B. & pauxillo Diagrid. Arat. compositæ & propinatæ, item infusa Vinosa vel Decocta laxantia Sennata, passulata & Rhabarbarina, non aspernenda, sed pro commoditate ægrotantis in usum trahenda. Purgationes autem fortiores & per superiora operantes, quales quales etiam sint, sive arte sive spontaneo provocatas & provocandas, penitus penitusque hic exulare judico, non sine ponderosa ratione inductus ; Ob motum non solum sanguinis, qui major in hisce excitatur, sed pectoris ipsius, quod maximas injurias, molestiasque experiri, expertum est atque observatum ; Hinc ii, qui Tußim Hæmoptysi provenientem pro Stomachali quadam reputantes, statim ad Vomitoriorum usum confugiunt, in aere quasi piscantur, nihilque se effecisse, nisi nocumenti plus, decrementi parum, Exemplum edocet non unum.

### §. XXVII.

Nunc proprius ad Scopum, Purificationem nimirum M. S. est transeundum ; Huc apprime conveniunt lenia Dia-pnoica, Resolventia, Pectoralia , Sanguinis torsan in pulmonibus adhuc delitescentem quantitatem abstergentia, Pectus repurgantia & roborantia, Temperantia item & antiscorbutica, tam sicca quam liquida forma propinanda ; Decocta resolventia & lenientia vel maxime prosunt: v. gr. Rz. Rad. Scorzon. Arist. O, sarsapar. ana 3j. irid. Glycyrrh. ana 3ij. Sem. Anis. 3ij. Herb. Pulm. Veron. Marrub. Scord. Cheref. ana Mj. Hyssop. Salv. Sanic. Capill. Fris Epat. nob. Summit. Cent. min. ana Mj. Caric. pingu. Passul. min. ana 3vj. rasur. C. C. 3j. incis. cont. Coqu. cum ▽ font. Wiv. Rz. Colat. Wij. clarif. D. in Vitr. S. Brust- und Lungen-Trank, davon früh und Abends ein Wein-Gläßgen voll zu trinken. Inter hujus decocti usum ad usum quoque pro variatione commendamus TR. Resolventes & Diaphoreticas, bez. W. antiphthis. Garmanni, Fri S. & Compos. ut & Ess. Vegetabilium,

bilium & temperatorum; C. B. Cent. min. abs. compos. Pimp. alb. Succin. Myrrh. ʒ ii. Lign. Ex quibus sequentes MRæ componi possunt: R. TR. Ʒri Ʒij. D. in Vitr. sumantur 30. gtt. post merid. vel R. TR. ʒ ii Eſſ. Lign. Succin. Myrrh. bals. ana Ʒj. M. D. S. Resolvirende und Blut-reinigende Eſſenz, alle Morgen und Abend 40. Tropfen in Thee zu nehmen. Loco infusi Thee sequens infusum purificans & Resolvens admittendum est: R. Rad. Chin. Sarsapar. bryon. ana Ʒj. Herb. absynth. Scabios. hyſſop. Scord. Meliſſ. Salv. Beton. Fl. Stæch. Arab. ana MR. Lign. Sassafr. Ʒij. M. incis. cont. gr. m. Adhibetur instar infus. Thee, & in quo præcedens MR. erit assumenda. Interdum quoque pulv̄eres aliquot temperantes, pectorales, martiales, Ʒini, ut insimul Ʒtiæ indicationi satagamus, sunt interponendi: v. gr. R. Pulv. Pect. W. Succin. alb. præparat. Corall. rubr. præparat. O dep. ana Ʒj. M. D. in 3. p. a. Habent insimul quoque roborandi qualitatem remedia ex Hyacintho parata, potiones Roborantes, Analeptice & Mixturæ Cephalice. Cordiales atque Nervinae v. g. R. Elix. Pect. W. Oli. Mynſicht: Ceph. W. Eſſ. Succin. ana Ʒj. Ʒo Ʒ. Cinam. Caryoph. ana gtt. ij. M. D. S. Brust- und Magen-Elixir vor und nach Eiſche 35. Tropfen zu nehmen in ein wenig guten Wein. Ad majorem confortationem pectorisque roborationem conciliandam, sequentem potionem suadeo: R. Ʒ fl. Til. Sambuc. Ceras. nigr. ana Ʒij. Rosar. Fragor. Cinam. Cydon. ana Ʒi. Spec. de Hyacinth. Corall. rubr. mat. perl. ana Ʒij. Ʒ nat. Ʒj. Syr. rub. id. Papav. Errat. de Sympb. Fernel. ana Ʒij. M. D. S. starkender Dranck, wovon alle 3. Stunden ein biß zwey Löſſel voll zu nehmen; Hæc omnia roborandi fine allegata remedia, non solum non prius debent in subsidium vocari, quam paroxysmus substiterit, sed & vario modo variisque formulis tam liquidis quam siccis varianda sunt; Sic Electuaria Pectoralia & multa specifica remedia etiam Sympathetica, sub magno numero in Autoribus descripta huc possem referre, si longiores adhuc supererent paginæ, & ni cogar hic pedem figere, atque, Deo pro mihi ad hoc negotium absolvendum largitis Viribus gratias habiturus, Finem facere.

S. D. G.

LAN-



**L**ANGIVS in Physicis, TE RODOX, struxit  
abunde,  
**L**BASSIVS adjunxit felix Anatomica doctè,  
**H**OFFMANNVS Celebris, COSCHWIZIVS optima  
quævis  
Artis Apollineæ fideliter addidit apte,  
Hos Celebres, Doctos Doctores nunc imiteris,  
MI RODOX, & sic es felix usque futurus.

*Hæc Paucula adjectit*

PRÆSES.

---

**D**A nun die Erndte-Zeit vorben mit Clytons Blumen,  
So tritt Hygea auf und zeigt den Nectar-Most,  
Lacheus ruft herzu Napeen Clori Muuhmen,  
Und tragen völlig auf Hygeen ihre Kost.  
Wer nun recht durstig ist, bring mit Vitunis-Becher,  
Und trink Apollo Wein hier in Geranen-Zelt:  
Silenus ist nicht weit mit Floræ Sonnen-Fecher,  
Der nun bald eilen wird aus ihren Blumen-Feld.  
Bald

Bald wird es auch geschehn, du wirst von hier abreisen  
Zu deiner Eltern Stadt und bringen Palons-Lehr,  
Du wirst erfreuen Sie: ja selbst wird man dich preisen,  
Wenn du davon getrag'n der Meditrinæ Ehr.

Dieses schreibet zu Ehren dem Herrn  
Licentiato

D. H. A. S.

Lacheus ]	Göttin des menschlichen Lebens,
Clyto	- der Gesundheit.
Hygea ]	- der Blumen.
Flora	- der Blumen und Wälder.
Clori ]	- der Blumen und Wälder.
Napea	- der Blumen und Wälder.
Meditrina Arzney-Göttin.	
Palon berühmter Arzt.	
Apollo Arzney-Gott.	
Vitunus Lebens Gott.	
Silenus der Liebe Begleiterin.	

Will jezund Erfurth dich besonders heut beeihren,  
So thu ich meine Pflicht ißt als ein Vater  
auch.

Gott seß dich uns zum Seeg'n und geb dir Salmonss-  
Lehr'n.

Das du auch hier curirst nach Hippocratens Brauch  
Echo uns auch  
Nach alten Gebrauch.

Dieses wünschet und hoffet dein  
alter Vater

M. JOH. GOTTFRID. RODOX,  
Pastor P. des Decanats Frieden-  
burgk Senior.

Wenn

**W**enn unverdroßner Fleiß Gelehrsamkeit erlanget,  
So läßt man sie der Welt mit höchsten Rechte  
seh'n,

Was nützt ein Edel-Stein, der noch so herrlich pranget,  
Wenn seine Kostbarkeit nicht soll vor Augen stehn?  
Mein Bruder, du zeigst ißt davon auch eine Probe,  
Die dein bisher' ger Fleiß nummehr' angestellt,  
Der Wohlstand leidet nicht, daß ich dich ferner lobe,  
Weil sonst der Momus nur ein wiedrig Urtheil fällt.  
Inzwischen gebe dir der Höchste Wohler gehen,  
Er segne deinen Stand, darinn er dich gesetzt,  
Er laß bey Patienten dich im Glücke wohl bestehen,  
So daß das Vater-Land sich stets an dir ergözt.  
Mit diesen wenigen wolte dem Herrn Can-  
didato gratuliren dessen Bruder

**Johann Gottfried Rodox/**  
Adv. Sang.

---

**V**irtus, mi Frater, templum *tibi* pandit honoris,  
Ex Medico Studio Lausque decusque venit.  
Gratulor ergo novum, meritus quem sumis, honorem,  
Quo Patri gignis gaudia sana seni.  
Sis felix læsis, miserisque medendo per artem,  
Quæ *tibi* Pæonis tradita ab ore fuit,  
Sis prudens Galenus (\*) & utilis Angelus ægris.  
Sic honor obtentus floret ubique *tibi*!

(\*) Galenus per anagr. Angelus.

*Hac paucâ fratri suo dilecto adjicere voluit*

**M. GEORGIVS HEINRICVS RODOX,**  
Pastor Stedensis in Comitat. Mansfeld.

103 (o) 104